

cationem dogmatum Ecclesiae propter multas causas opus esse difficilimum, & quanquam necessarium est, tamen plenum esse ingentium periculorum, attente audiui interpretes eruditos ^{et} *ἱεροδιδάκταις*, & mediocri cura & solitudine inquisiui Ecclesiae doctrinam, & conatus sum res veras quanta potui perspicuitate recitare. Non gigno nouas opiniones, nec aliud maius scelus esse in Ecclesia Dei sentio, quam ludere fingendis nouis opinionibus, & discedere a Prophetica & Apostolica scriptura, & consensu vero Ecclesiae Dei. Sequor autem & amplector doctrinam ecclesiae Vuitebergensis & coniunctarum, quae sine ulla dubitatione consensus est Ecclesiae catholicae Christi. Id est, omnium eruditorum in Ecclesia Christi. Vult autem Paulus esse iudicia doctrinae in Ecclesia, ut ueritas seruetur incorrupta, & non temere labefactetur concordia: Et agnosco ipse meorum scriptorum maciem & squalorem. Quanquam igitur proprie & plane loqui studeo, tamen fieri potest, praesertim in tanta mole rerum, & in tanta breuitate, ut interdum aliquid dictum sit obscurius, aut parum commode. Ideo non defugio iudicia Ecclesiarum nostrarum: Nam has censo vere esse Dei Ecclesiam, & uera animi pietate eas veneror, nec me ab eis seiungam, mea quoque dicta, scripta & facta, earum iudicio permitto. Saepe etiam optaui alios, qui antecellunt eruditione & iudicio communicato consilio, & collatis sententijs de rebus ipsis, & de formis loquendi, graui autoritate tale aliquod opus condere, quod ordine praecipuas materias doctrinae Ecclesiasticae complecteretur. Dicerem hanc rem curae esse debere

debere pijs & sapientibus Principibus, praesertim in tanta temporum confusione, Sed uidemus Ecclesiam non regi humanis consilijs. Oro igitur Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut propter Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, quem uoluit esse pro nobis uictimam, *ἡμῶν ἰσχυρὸν & ἱερόν*, Ecclesiam sibi colligat, regat, & seruet, & docentium & discentium mentes gubernet, studia adiuuet, & ad ueritatem & concordiae amorem multos flectat. Id cum Christus in agone suo precatus sit, nostra uota et nostros gemitus ad huius nostri pontificis petitionem adiungamus, qui dixit: Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus est ueritas: Ne finas extingui lucem ueritatis, id est, Euangelij tui, Et addidit: sint unum, sicut & nos unum sumus, Primum nobiscum coniuncti sint, deinde inter sese sint concordantes, & consulant paci uerae Ecclesiae iustis officijs. Hortor & Scholasticum gregem, ut cogitent, qua in statione a Deo collocati sint, & sciant se Ecclesiae Dei seminaria esse. Nam ex hoc numero filius Dei regnans ad dextram aeterni patris, ac dona dans hominibus, uidelicet pastores & doctores, sumit Euangelij ministros, quos praeparari uult in Scholis. Hos esse custodes librorum Prophetarum & Apostolicorum & uerorum dogmatum Ecclesiae uoluit. Quare diligentiam & fidem in re omnium maxima Deo, Ecclesiae, & posteritati praestemus, ueritatem inquiramus, amemus, tueamur, & ad posteros incorruptam transmittamus. Vuitebergae. Anno

M. D. XLIII.

A 3

LOCI